



LIBER QVINTVS  
MEMBRVM TERTIVM.

In quo Authoris in vrinarum iudicio methodus explicatur, per quam ipse non modo de morbis, verum etiam de eorum radicibus supercœlestibus, cœlestibus & elementaribus per vrinæ inspectionem, solet coniecturam suam facere.

*Preludium istius membri contenta paucis comprehendens.*



**N** historia nostra de Pulsu, asseuerauimus, quod in Pulsuum directo iudicio necesse foret, hominis sani pulsus dispositionem tam in tempore motus atque quietis, quam in quantitate intelligere, ut perfectius tum postea de statu eius præternaturali acquiri queat iudicium: nam perfecte considerato medio, facilius de gradibus extremorum iudicare possumus, quæ quidem extrema per relationem ad mediocrium graduum habitum, ad amissim per speculum nostrum demonstratum optime ibidem expressimus.

Haud aliter in nostra vrinaria praxi res sese habebit, nam, si modo sit possibile, vrinam imprimis hominis, siue sit viri, siue mulieris, sani nosse desideramus, ut ita complexionem ipsius naturali bene perspecta & percepta, facilius de eius ad vnum vel aliud extremum inclinatione iudicare possimus, verbi gratia, si inuenero ex vrinæ sanæ contemplatione, vrinam esse magis tenuem quam spissam, & coloris citrinioris, tunc iudicio complexionem illam naturalem esse cholericam phlegmaticam, videlicet in qua cholera prædominatur, sed & abundat phlegma. Si igitur vir iste vel mulier illa, tum postea egrotare incipiat, video ego, an vrina sit intensior longe, quam in dispositione naturali apparebat, videlicet aut fulua, aut crocea, &c. tunc enim dicam spiritum siue sanguinem illius nimium accendi, & ad æstiualem speculi nostri experimentalis polum inclinare: Verum si & regione in suo colore fuerit remissior, tunc, aio, ipsam à mediocri & æqualitatis statu polum instrumenti seu speculi borealem & frigidum appropinquare, & morbum fieri à causa frigida.

Porro etiam si vergat ad polum æstiualem, & crassior fiat naturali, tunc dico morbum fore à sanguine corrupto, seu plaga Meridionali; sed si sit tenuior naturali & intensior, tunc affirmo esse à cholera accensione, & à citrina in flauam aut rubram conuersione, hoc est, à plaga seu vento Orientali. Ex altera parte si in hemisphærio frigido inueniatur in substantia tenuiori & subtiliori, & colore remissiori, quam erat in statu naturali, siue æqualitatis, dico tum quidem, morbum inclinari ad melancholiam per nimiam extinctionem aut suppressionem cholerae: verum si spissior & crassior inueniatur quâ par est, aio phlegma dominium habere super choleram, & complexionem mutari à cholericam phlegmaticam in phlegmaticam cholericam, in qua tamen cholera virtus præternaturali phlegmatis insultu, mirum in modum obtunditur, atque opprimitur, unde morbi contingunt patienti huic complexionem magis familiares. Atque hoc idem de omnibus cæteris complexionibus est iudicandum, ubi ante morbi accessum illa naturalis per vrinæ inspectionem apprehenditur.

Proce-